

Quæstioncule, quæ supersunt circa præsentem materiam, breviter resolvuntur.

Petes 1. Utrum Canon Missæ convenienter submissa voce recitetur? Canon idem est ac Regula, seu Ritus celebrandi Missam: incipit a *Te igitur*, & finitur ad Communionem, seu secundum alios ad Orationem Dominicam, a qua incipit præparatio ad Communionem. Canonis veritatem, & antiquitatem a multis sæculis asserit Concil. Trid. Sess. 22. c. 4. Probabile est, Apostolos statim ab initio sacrificasse adhibita sola Oratione Dominica; post Ascensionem verò Domini aliquas alias preces adhibuisse; quibus addiderunt postea summi Pontifices. Canon, quem nunc habemus, legitur in ordine Romano, & extitisse ante ann. 800. inde evincitur, quòd in illo solum recenseantur nomina Martyrum, non Confessorum; quia Martyres colli ceperunt in Ecclesia ab initio; Confessores autem tantum paulo ante ann. 80. ut patet ex Concilio Moguntino circa hoc tempus celebrato, a quo in Catalogo Festorum reponuntur Festa SS. Martini & Remigii.

R. Ad questionem affirmative. 1. Ex Trid. sess. 22. cap. 9. ubi sic definit: *Si quis dixerit, Ecclesie Romane ritum, quæ submissa voce pars Canonis, & verba Consecrationis profertur, damnandum esse; aut lingua tantum vulgari Missam celebrari debere... anathema sit.* 2. Quia ad reverentiam Mysteriorum pertinet, ut quædam dicuntur secreto: *Qui in primordiis Ecclesie*, inquit Basilii I. de Spiritu S. c. 27. *certos Ritus præscripserunt Apostoli, & Patres in occulto, silentioque mysteriis suam servare dignitatem; neque enim omnino mysterium est, quòd ad populares, vulgaresque aures offertur.* 3. Christus in cruce se offerens quædam in silentio oravit.

Petes 2. Utrum Missa sit celebranda in lingua vulgari? R. Celebrare Missam lingua vulgari non est per se malum; quæ enim in ea continentur, quavis lingua recitentur, sunt bona & spirant sanctitatem; possetque certis de causis permitti ab Ecclesia sic celebrari, sicut Aneas Sylvius de Orig. Bohem. c. 13. apud Sylvium refert permissum fuisse Moravia, ut divina Officia lingua Sclavonica peragerent ad tempus; quia, cum totum Regnum esset simul conversum ad fidem, non reperiebantur, qui omnibus latinè celebrarent.

Attamen pluribus, & iustis de causis Ecclesia prohibuit Missam celebrari lingua vulgari. 1. Quia ex diversitate linguarum tolleretur communicatio Ecclesiarum, & qui unum tantum idioma colerent, non possent in aliis Ecclesiis celebrare. Hinc unitas Ecclesie solveretur, nascerentur dissensiones, & schismata. 2. Ex mutatione idiomatis vulgaris forent sæpe mutanda verba Sacrificii, aut antiquata, & ridicula, quæ ritum moverent, retinenda. 3. Quamvis omnes audientes intelligerent verba, non tamen omnes asserebantur sensum verborum, multa enim in Missa leguntur ex Prophetis, Psalmis, & Epistolis Apostolorum, inter quæ plura sunt intellectu difficilia. Unde contingeret, quòd plures audientes sensus exoticos, & falsos conciperent, sicut ex lectione Scripturarum, quæ idem non omnibus promiscuè permittuntur. Merito itaque Trid. citatum anathematizavit, *Qui dixerit Missam lingua vulgari celebrari debere, prudenterque Ecclesia instituit, ut lingua permanente, seu ut dicitur mortua, & a solis eruditis intellecta, Græca apud Græcos, Latina apud Latinos, Missa celebraretur.*

Opponent Hæretici illud. 1. Cor. 14. *Si incertam vocem det tuba, qui parabit se ad bellum? Ita & vos nisi manifestum sermonem dederitis; quomodo scietur id quòd dicitur?...* *Si benedixeris spiritu: qui supplet locum idiotæ, quomodo dicit Amen, super tuam benedictionem; Quoniam quid dicat, nescit: ergo. R. Apostolum non agere ibi de divinis Officiis, sed de quibusdam novis sive Canticis, sive Laudibus, sive Instructionibus, quas primi Christiani ex speciali tunc Spiritu S. afflatu inspirati in Conventibus publicis proferebant lingua peregrina, & ignota, ad quas idem, cum essent novæ, & non intelligerentur, nemo poterat respondere Amen, hoc est, eas approbare. Non sic autem in Missa, in qua qui respondet Amen, etsi verba non intelligat, sciunt tamen eis aliquid sanctum, & sibi utile significari.*

Instans Græci celebrant lingua vulgari: ergo. R. N. Ant. lingua enim Græca, in qua celebrantur Græci, non est magis apud ipsos vulgaris, quam Latina apud Italos. Lingua autem, in qua celebrantur Græci, est una ex tribus, quæ sunt consecratæ divinis Officiis, & in quibus titulus creus fuit scriptus, & Hebraicè scilicet, Græcè, & Latinè; nec magis quam Latina varietati subiacet.

Petes 3. Utrum sit licitum interrompere Missam, sive postea perficiendam, sive non? R. 1. Missam interrompere, sive postea perficiendam, sive non, sive ante, sive post Consecrationem, per se, & sine gravi causa non licet. Ita prohibitum est in Jure cap. *Nullus Episcopus* de Consecr. d. 1. & cap. *Nihil* 7. q. 1. Ratio est quia Missa est una actio totalis, quæ idem debet succedere, & sine interpretatione perfici. Urget autem magis hæc prohibitio, si interpolatio fiat post Consecrationem, & adhuc magis, si Missa non sit postea perficienda. Si ergo sit longa interruptio sine causa gravi, puta ad horam, & forte ad semihoram, etiam ante Consecrationem, & Missa foret postea perficienda, videtur peccatum mortale: veniale autem, si sit brevis interruptio. R. 2. Interrumpere Missam postea perficiendam, ante Consecrationem licet ob concionem, promulgationem Edictorum, solemnitatem Professionis Religiosæ. Ita praxis Ecclesie. Item post Consecrationem licet propter baptizandum infantem periclitantem, aut absolvendum infirmum morti proximum; quia salus proximi est majus bonum, & idem præferendum continuationi Sacrificii. R. 3. Interrumpere post Consecrationem Missam postea non perficiendam nunquam licet, nisi in casu impotentie physice, ut si celebrans subito infirmetur, & foret in periculo mortis imminens, quòd aliter quàm deserendo Sacrificium vitari non potest, pura ex incendio, aut subitanea ruina Ecclesie, ex incurso sciariorum, ita ut, si permaneat celebrans, occidatur, & Sacrificium pariter remanebit imperfectum. Intelligit tamen, nisi mors intentetur in odium fidei.

Ante Consecrationem verò interrompere Missam non perficiendam licet, dum celebrans recordatur se esse in peccato mortali, non esse jejunum, esse aliqua censura innodatum: in his, inquam, casibus Sacerdos non solum potest; sed etiam debet Sacrificium deserere ante Consecrationem, si fieri potest absque scandalo, aut nota infamante. Si autem sit periculum scandalum, aut notæ infamantis, ut est ordinariè ddm celebrat publicè, peniteat, & prosequatur, ut alibi dixi.

Petes 4. Quid facere debet Sacerdos celebrans, si advertat se aliquid omississe, aut unum pro alio legisse. R. (*Ibid. art. 6. ad 5.*) Si id certò sciat, debet repetere ea, quæ sunt de necessitate, aut integritate Sacrificii: ut si sit forma Consecrationis, debet illam resumere, & cætera per ordine iterare, ne mutetur ordo Sacrificii. Alia autem, quæ non sunt de necessitate, aut integritate Sacrificii, ut sunt collecta, *Gloria in excelsis*, Epistola, Evangelium, *Credo*, &c. si jam aliquantulum sit progressus, non debet repetere, sed prosequi. Si verò dubitet tantum, se aliquid omississe, ea, quæ sunt de necessitate, aut integritate Sacramenti, repetat sub conditione, non alia, si tandem dubitet tantum negativè, nimirum quia non recordatur se dixisse, nihil debet repetere, sed debet supponere se dixisse, non enim, qui multa dicit, recordatur omnium, quæ dixit.

Petes ultimò, utrum Rubricæ Missalis, de quibus totis diximus in præcedentibus articulis, sint obligatorie? R. affirmative: 1. Quia S. Pius V. in Constitutione, quæ legitur in capite Missalis, strictè præcipit, ut Missam juxta ritum, modum, ac normam, quæ in eo traditur, decantent, & legant. 2. Quia S. Rituum Congregatio in Decreto, quòd pariter est Missali Romano præfixum, sic statuit: *Demum, renovando Decreta alias facta, mandat S. Congregatio, in omnibus, & per omnia servari Rubricas Missalis Romani: non obstantes quocumque prætextu, & contraria consuetudine, quam ab usu esse declarat. Et facta relatione horum Decretorum S. D. N. Urbano VIII. Sanctitas sua annuit; & ab omnibus ubique servari, & in Missali Romano noviter imprimendo apponi, mandavit.* 3. Quia Concil. Trid. sess. 22. in Decreto de observandis, &c. vetat, ne Sacerdotes Ritus alios, aut alias ceremonias, & preces in Missarum celebratione adhibeant. Obligatio itaque graviter, vel leviter, pro materia exigit, præceptum sonat, & consuetudo intelligit: imò ex consuetudine contraria possunt non obligare. Quòd enim Decretum Congregationis dicit, *Non obstante contraria consuetudine*, spectat consuetudinem, quæ tunc erat, non quæ posset esse postea. Est enim principium universaliter receptum, consuetudinem posse derogare legi.

Ad quorum itaque intelligentiam, & distinctionem in praxi observandum est, omnes partes Missæ non esse ejusdem rationis. Aliæ sunt essentielles, aliæ accidentales. Inter accidentales quædam sunt gravius, quædam levioris momenti, attentò fine, ad quem ordinantur, & indecentia omissionis, quòd non parum dependet a judicio Doctorum, & Prudentum. Gravis igitur materia in præventi casu non tam æstimanda est ex ejus quantitate, quam ex ejus qualitate, attentò, ad dixi, ejus finem, & judicio Prudentum. Ex his inferes 1. Esse peccatum mortale omittere Confessionem ante gradus altaris, Epistolam, Evangelium, Oblationem, notabilem partem Canonis, puta, aliquam ejus orationem, aut integram periodum, consecrationem unius speciei, elevationem specierum, fractionem hostiæ, mixtionem eum sanguine; quia hæc partes communiter a Theologis judicantur graves.

*Theol. Biluarsi Pars Tertia.*

Inferes 2. Esse peccatum veniale tantum omittere, quæ non semper leguntur in Missa, ut *Gloria in excelsis*, *Credo* speciale Prælationem, & speciale *Communicantes*: item aliquas Collectas, pauca verba Canonis, quæ non mutant notabiliter significationem, Evangelium S. Joannis, quasdam Cruces, vel genuflexiones; quia Theologi communiter hæc partes, seorsim scilicet, non simul sumptas, non apprehendunt ut graves. Idem dic de precibus præscriptis, dum induitur Sacerdos. Quantum autem ad eas, quæ post celebrationem sunt præscriptæ, scilicet Canticum trium puerorum, paucos video, qui ad illas sub obligatione alicujus peccati adstringant, & revera apparet, quòd consuetudo non intelligat quoad illas præceptum rigorosum; videmus enim plures, & pios Sacerdotes, qui hæc, vel alias quisque pro sua devotione recitant.

Inferes 3. Esse peccatum mortale aliquid, etsi minimum, addere animo introducendi novum Ritum; tum quia id præcipue prohibent Pius V. & Concilium Trid. tum quia si posset hodie absque peccato mortali addi eo animo aliquid leve, ita etiam posset sequentibus diebus, sicut absque peccato mortali introduceretur novus Ritus in re gravi, & everteretur finis Legis. Non datur in hoc ergo levitas materiæ. Insuper, qui eo animo agit, usurpat Ecclesie auctoritatem in re gravi. Addere autem aliquid leve ex indiscreta devotione est peccatum veniale: intellige additionem eorum, quæ non sunt in Missali; usus enim priorum excusat additionem aliquarum Collectarum ex Missali, quamvis pro hac Missa non præscribantur. Intelligit etiam de additione vocali, seu exteriori; addere enim aliquid mentaliter, ut actum contritionis, vel virtutum Theologicarum, aut quid simile ante communionem, vel alias, non cadit sub prohibitione.

Inferes 4. Celebrare aliam Missam, quam designatam, diebus prohibitis, ut Missam votivam, vel *De requiem* die Dominica, in Festo duplici, intra octavas solemnissimas, &c. secundum communem opinionem esse regulariter tantam peccatum veniale, secluso contemptu, & scandalo; quia lex non apprehendit communiter strictius obligans, saltim regulariter. Puto tamen, difficile posse vitare scandalum celebrando publicè Missam *De requiem* die Dominico, vel Festo. Dixi etiam: *Regulariter*; celebrantem enim sine gravi causa Missam votivam, aut *De requiem* in Festo solemnissimo, puta, Paschæ, & similibus, a peccato mortali non excusarem; hæc enim indinatio videtur gravis. Concessit S. Congregatio, ut presentem corpore defuncti posset cantari Missa *De requiem* diebus Dominicis, & Festis, non tamen solemnissimis, ut Festo Paschæ, & similibus. Item, quòd Missæ *De requiem* ex fundatione possent celebrari in Festo duplici, quòd non est de præcepto. Ita refert Sporer ex Gavanto.

## DIGRESSIO HISTORICA

Quis fuerit Melchisedech?

Ad dissert. præcedentem.

Cum in Dissertatione præcedenti multoties de Melchisedech, cujus Sacrificium fuit figura Sacrificii Eucharistici, mentionem fecerimus, non ægrè foret curiosus Lector, si ejus genus hic breviter scrutemur, de quo variæ fuerunt opiniones. Quidam Hæretici, dicit Melchisedechianum, arbitrati sunt Melchisedechum fuisse quendam virtutem celestem, Christo superiorem. Alii dixerunt, esse Angelum: alii, Spiritum sanctum: alii tandem, ipsum Dei filium, in carne ad tempus assumptam Abrahamo apparentem. Vera autem, & communis inter Orthodoxos sententia est, Melchisedech fuisse verum hominem. Inter eos tamen controversatur, an fuerit Sem filius Noë; an hominè genere Canaanæus, ex Chamo altero filio Noë oriundus?

Dico 1. Melchisedech non fuit quædam virtus celestis Christo major, non Angelus, non Spiritus S. non Filius Dei, sed verus homo. Prob. 1. quoad singulas partes. Prima, 1. Christo Dei Filio, & Deo nulla est virtus superior. 2. Melchisedech dicitur *assimilatus Filio Dei* Hebr. 7. ergo non illi æqualis, nec a fortiori major. Patebit insuper ex sequentibus. Secunda pars: Melchisedech erat Rex Salem, & Sacerdos Dei altissimi, Genes. 14. Hæc autem non conveniunt Angelo, vel modò dicam. Tertia pars: 1. Spiritus S. nunquam legitur carnem induisse. 2. Melchisedech, ut modo dicebam, erat assimilatus Dei Filio, illius figura, Sacerdos Dei; & his titulis Deo, consequenter Spiritui S. inferior. Quarta pars eisdem momentis evincitur.

Prob. 2. Conclusio quoad omnes partes simil. Melchisedech erat Rex urbis Salem, sive sit Jerusalem, ut multi volunt, sive probabilius secundum Hieronymum Ep. 126. ad Evangelium, urbs Sichimorum dicta Salem, vel Salim, item erat Sacerdos Dei altissimi, qui occurrit Abrahamo revertenti e cæca quatuor Regum, & pro cujus victoria obtulit Deo Sacrificium,



ab eoque decimas accepit, Genes. cit. atqui hæc non conveniant nisi vero homini. Etenim Principatus, ac regimen visibilis, ac terrenæ civitatis ad solos homines spectat. Et juxta Apost. Hebr. 5. Omnis Sacerdos, seu Pontifex ex hominibus assumptus, id est progenitus, pro hominibus constituitur in iis, que sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis; qui condolare possit eis, qui ignorant, & errant, &c. ergo.

Prob. 3. Ex communi sensu Patrum apud Hieronymum Ep. citata: Revoluti, inquit, veterum libros... veris me ad Hippolytum, Ireneum, Eusebium Cesariensem, & Emissenum, Apollinarianum quoque nostrum, & Eustathium... & deprehendi, horum omnium opiniones deversis argumentibus, ac diverticulis ad unum compitum pervenisse, ut dicerent Melchisedech hominem fuisse Chananeum.

Dico 2. Probabilis est, Melchisedech non fuisse Semum filium Noë, sed hominem genere Chananeum. Prob. 1. Ex laudato Testimonio Hieronymi. 2. Melchisedech nullam habet in Scriptura genealogiam, quo sensu dixit Apost. Hebr. 7. fuisse sine patre, sine matre, sine genealogia; atqui Sem habet in Scriptura genealogiam per omnes majores, posterisque descriptam: ergo. Neque dicas, non habere quidem genealogiam sub nomine Melchisedech, sed habere sub nomine Semi, non enim hic est questio de nomine, sed de homine ipso: hujus autem hominis, si fuerit Sem, & genus, & genealogia in Scripturis traduntur. Nemo sane dixerit, genealogiam Israël non haberi in Scriptura ex eo, quod sub nomine Jacob tantum tradatur. Insuper Apostolus ibid. v. 6. dicit, generationem Melchisedech non numerari inter Levitarum majores, & tamen certum est Levitas originem directè ducere a Semo per Jacob, Isaac, Abraham, & Arphaxad. Terra Chanaan obigit huius Chami: non est ergo probabile, Sem in ea terra obtinuisse Regnum. 4. Non est etiam verisimile, Abraham in ea terra peregrinum quævisse ab extraneis presidium vitæ, in commorationis, & sepulture, si in ea habuisset Regem Salem suæ gentis Auctorem.

Obj. contra 1. Conclusionem. 1. Melchisedech Hebr. 7 dicitur sine patre, sine matre, sine genealogia; quod non convenit homini, sed soli spiritui. 2. Tempore Abraham nullus erat in terra Chanaan fidelium coetus, alioquin Abraham inter eos potius habitasset, quam inter Ethnicos. Non est autem Rex absque subditis, nec Sacerdos absque populo fideli. 3. David Ps. 109. dicit de Christo: Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech: Et Apost. Hebr. 7. de Melchisedech, quod nunc Sacerdos in æternum: Sacerdotium autem æternum soli Christo competit. 4. Apostolus ibid. dicit, Melchisedechum neque initium, neque finem vitæ habere; quod iterum soli Deo competit,

5. Apost. ibid. facit Melchisedechum præstantiorem Abrahamo, at tunc inter mortales nullus erat Abrahamo præstantior. 6. Idem Apostolus ibid. c. 5. loquens de Melchisedech, De quo, inquit nobis grandis sermo, & interpretabilis ad dicendum; quibus verbis ineffabilem ejus divinitatem indicat: ergo. R. ad 1. jam dictum est, Melchisedech asseri sine patre, & matre; Non quod ambobus illis carnerit, inquit Epiphanius hæresi 55. sed quod nulla sit illorum in divinis Litteris expressa mentio. Ad 2. Ex conjecturis nihil evinci potest contra expressa Scripturæ testimonia. Fuisse autem Melchisedechum Regem Salem, & Sacerdotem Dei altissimi, expressè testantur Moyses, & Paulus. An populus, cui imperabat Melchisedech, fuerit fidelis, tacente Scriptura, incertum est, sed nihil vetat Melchisedech, cum familia sua verum Deum coluisse, & illi suo suorumque nomine obtulisse sacrificia, sicut obtulerunt Abel, Henoch, Job inter Infideles Et quamvis fuerit populus fidelis, id latere potuit Abrahamum in terra peregrina hospitem. Adde, quod tunc factus inierat cum habitatoribus Mambre, ideoque accessus non erat, ut aliud migraret.

Instant. Melchisedech non est nomen proprium, sed appellativum: ergo. Prob. Ant. Apostolus illud interpretatur Regem justitiam: ergo. R. N. Ant. Ad Probant. N. Consequ. Nihil enim prohibet, quominus nomen proprium mysticè exponatur. Sic Angelus Matth. 1. v. 21. exponit nomen Jesu, quod est proprium, Quia salvum faciet populum suum.

Ad 3. Melchisedech dicitur Sacerdos in æternum, & ejus Sacerdotium æternum, non in se; sed in eo, cujus erat figura, scilicet Christo, & ejus Sacerdotio. Ad 4. Melchisedech dicitur non habuisse initium dierum, neque finem vitæ, quia neque ejus nativitas, neque mors memorantur a Moysse, ut Christi typum exhiberet, qui qua Deus nec initium dierum, nec finem vitæ habet. Ad 5. Melchisedech erat Abrahamo præstantior, non solum regia potestate, sed etiam Sacerdotii dignitate, & typo. Abraham enim erat homo privatus in Chanaanæ peregrinus, suæque familie tantum Sacerdos. At Melchisedech regia potestate in suam gentem dominabatur; eratque, juxta Canonem Missæ, & Auctorem (Hic q. 31. art. 2.) Summus Sacerdos, munia sacerdotalia publice exercens, & quod præcipuum est gerens typum Sacerdotii Christi, & Sacrificii nostri. Ad 6. hæc verba Apostoli, Ininterpretabilis sermo, juxta aliquos, referenda sunt ad Christum; aut, si ad Melchisedech, non ad ipsum absolute, sed ut Christi Sacerdotium, & Sacrificium præfigurabat. Juxta alios, dicit Apostolus Ininterpretabilem sermonem de Melchisedech, non ob ineffabilem ejus majestatem, sed quia, ut dicit ibid. Apostolus, Hæresi, quos alloquebatur, erant facti imbecilles ad audiendum.

TRACTATUS DE SACRAMENTO PŒNITENTIÆ

Div. Thom. a Quæst. 84. usque ad 15. Supp.

SUMMA DOCTRINÆ CATHOLICÆ

DE PŒNITENTIA

EX CONCILIIIS, FLORENTINO, ET TRIDENTINO.

Decretum Concilii Florentini pro Instructione Armenorum (Sub Eugenio IV. anno 1439. S. Thom. opusc. 5.)

Canones Concilii Tridentini de Pœnitentia (Sess. 14. 25. Novembris anno 1551. sub Julio III.)

Quartum Sacramentum est Pœnitentia; cujus quasi materia sunt actus pœnitentis, qui in tres distinguuntur partes. 1. Quarum prima est cordis contritio; ad quam pertinet, ut doleat de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero. Secunda est oris confessio; ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo Sacerdoti confiteatur integralitèr. Tertia est satisfactio pro peccatis, secundum arbitrium Sacerdotis; quæ quidem præcipue fit per orationem, jejunium, & eleemosynam. Forma hujus Sacramenti sunt verba absolutionis, quæ Sacerdos profert, cum dicit: Ego te absolvo, &c. Minister hujus Sacramenti est Sacerdos, habens auctoritatem absolventi, vel ordinariam, vel ex commissione superioris. Effectus hujus Sacramenti est absolutio a peccatis.

I. Si quis dixerit, in Catholica Ecclesia Pœniteciam non esse verè, & propriè Sacramentum, pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino institutum; anathema sit. II. Si quis, Sacramenta confundens, ipsum Baptismum Pœnitentiæ Sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo Sacramenta distincta non sint; atque ideo Pœnitentiam non recetè secundam post naufragium tabulum appellari; anathema sit. III. Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris: Accipite Spiritum S. Quorum remisistis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt; non esse intelligenda de potestate remittendi, & retinendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ, sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit, detorsit autem, contra institutionem hujus Sacramenti;

menti, ad auctoritatem prædicandi Evangelium; anathema sit. IV. Si quis negaverit, ad integram, & perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in Pœnitente, quasi materiam Sacramenti Pœnitentiæ, videlicet, Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem, quæ tres Pœnitentiæ partes dicuntur; aut dixerit, duas tantum esse Pœnitentiæ partes, terrores scilicet incensus conscientiæ, agnitio peccati, & fidem conceptam ex Evangelio, vel absolutione, qua credit quis sibi per Christum remissa peccata; anathema sit.

V. Si quis dixerit, eam contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem, & detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, non esse verum, & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam, & magis peccatorem; demùm illum esse dolorem coactum, & non liberum, ac voluntarium; anathema sit.

VI. Si quis negaverit, Confessionem sacramentalem, vel institutam, vel ad salutem necessariam esse Jure divino; aut dixerit, modum secretè confitendi soli Sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper observavit, & observat, alienum esse ab institutione, & mandato Christi, & inventum esse humanum; anathema sit.

VII. Si quis dixerit, in Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse Jure divino confiteri omnia, & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita, & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, & quæ sunt contra duo ultima Decalogi præcepta, & circumstantias, quæ peccati speciem mutant, sed eam Confessionem tantum esse utilem ad erudiendum, & consolandum pœnitentem, & olim observatam fuisse tantum ad satisfactionem canonicam imponendam; aut dixerit, eos, qui omnia peccata confiteri student, nihil relinquere velle divinæ misericordiæ ignoscendum; aut demùm, non licere confiteri peccata venialia; anathema sit.

VIII. Si quis dixerit, Confessionem omnium peccatorum, qualem Ecclesia servat, esse impossibilem, & traditionem humanam, a pijs obolendam; aut ad eam non teneri omnes, & singulos utriusque sexus Christi fideles, juxta Concilii Lateranensis Constitutionem, semel in anno; & ob id quadragesimæ esse Christi fidelibus, ut non confiteantur tempore Quadragesimæ; anathema sit.

IX. Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem Sacerdotis

non esse actum judiciale, sed nudum ministerium pronuntiantis, & declarandi, remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat se esse absolutum; aut Sacerdos non serio, sed joco absolvat; aut dixerit, non requiri Confessionem pœnitentis, ut Sacerdos eum absolvere possit; anathema sit.

X. Si quis dixerit, Sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi, & solvendi non habere; aut non solos Sacerdotes esse Ministros absolutionis, sed omnibus, & singulis Christi fidelibus esse dictum: Quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata, & in Cælo; & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta, & in Cælo; & quorum remisistis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis retenta sunt; quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata publica quidem per correptionem dumtaxat, si correptus acquieverit; secreta verò per spontaneam confessionem; anathema sit.

XI. Si quis dixerit, Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam poenitentiam; atque ideo casuum reservationem non prohibere, quominus Sacerdos a reservatis verè absolvat; anathema sit.

XII. Si quis dixerit, totam poenam simul cum culpa remitti semper a Deo; satisfactionemque pœnitentium non esse aliam, quam fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfactis; anathema sit.

XIII. Si quis dixerit, pro peccatis, quoad poenam temporalem, minime Deo per Christi merita satisfieri poenis ab eo indicatis, & patienter toleratis, vel a Sacerdote injunctis, sed neque spontè susceptis, ut jejunium, orationibus, eleemosynis, vel alijs etiam pietatis operibus; atque ideo optimam Pœnitentiam esse tantum novam vitam; anathema sit.

XIV. Si quis dixerit, satisfactiones, quibus pœnitentes per Christum Jesum peccata redimunt, non esse cultus Dei, sed traditiones hominum, doctrinam de gratia, & verum Dei cultum, atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes; anathema sit.

XV. Si quis dixerit, claves Ecclesiæ esse datas tantum ad solvendum, non etiam ad ligandum; & propterea Sacerdotes, dum imponunt poenas confitentibus, agere contra finem clavium, & contra institutionem Christi; & fictionem esse quod, virtute clavium sublata poena æterna; poena temporalis plerumque exolvenda remaneat; anathema sit.

DISSERTATIO I. DE PŒNITENTIA SECUNDUM QUOD EST SACRAMENTUM.

D. Thom. Quæst. 84.

Pœnitere, si nominis Etymologia spectetur, est quasi poenam tenere, seu teneri poena ejus, quod commissum est. Secundum verò nominis impositionem sumitur, vel pro virtute inclinante hominem ad reparandam injuriam Deo factam per peccatum, aut pro hujus virtutis actibus, vel pro Sacramento novæ Legis, quo remittuntur peccata post Baptismum commissæ. Et quamvis ordine generationis prior sit Pœnitentia ut virtus, quam Pœnitentia ut Sacramentum, cum actus interior exteriorem præcedat, & Pœnitentia virtus esset necessaria, etiam non esset Sacramentum; quia tamen actus hujus virtutis sunt pars Sacramenti; imò non sit virtus pro hoc statu novæ Legis, nisi includat votum Sacramenti; ideo cum Auctore hunc Tractatum incipimus a Pœnitentiam, ut est Sacramentum.

Variis nominibus insignitur. (Hic q. 84. art. 6. a.) Dicitur ab Hieronymo in c. 13. Isai. & a Trid. sess. 6. Can. 29. & sess. 14. cap. 2. Secunda post naufragium tabula respectu Baptismi, qui habetur ut integra navis, quatenus per eum omnia peccata quoad culpam & poenam simpliciter & integrè remittuntur. Dicitur Manuum impositio a quadam exteriori caremonia, quæ olim observabatur, & quæ nunc etiam aliquatenus observatur, dum Sacerdos profert absolutionem manum elevatam & extensam habet versus pœnitentem. Dicitur Baptismus laboriosus, propter dolorem & rigorem satisfactionis: Mysterium reconciliantis, propter remissionem peccatorum, quam confert. Apud Græcos dicitur Exomologesis, id est latine, Confessio, & Metæta, id est latine, Resipiscencia; scilicet secundum Etymologiam nominis; secundum etiam nominis impositionem assumuntur hæc voces à Græcis, non ad significandum solum Theol. Billuart Paris Lectia.

Confessionem, aut solam respicientiam, ut volunt Hæretici sed ad significandum id totum, quod importat Sacramentum.

ARTICULUS I.

Utrum Pœnitentia sit Sacramentum?

§. I. Errores circa existentiam Sacramenti Pœnitentiæ.

Montanistas, seu Cataphryges dictos a Phrygia Montani, patria, seu Pepusianos a vico, quem habitabat, circa ann. 173. & Novatianos sic dictos a Novato Presbytero Carthaginiensi, & Novatiano Antipapa circa ann. 254. negasse Sacramentum Pœnitentiæ, tradunt plerumque Scholastici cum Bellarmino: 1. Ex S. Hieron. Ep. 27. ad Marcellam, ubi de Montano & Novato scribit: Ab iis errantibus manum non porrigi, præcipitari facientes in Barathrum, ne levantur, ad omne penè delictum observari fores Ecclesiæ. 2. Ex Philastro hæres. 28. & ex Epiphani. hæresi 59. ubi scribit, Novatum affirmasse eum, qui post Baptismum delinqueret, nullam posse consequi veniam. 3. Ex S. Ambrosio l. 1. de Pœnitentia c. 1. ubi ait, Novatianos, Stoicorum quodam more, omnia peccata paribus aestimasse mensuris, & æquè eum, qui gallum, ut aiunt gallinaceum, atque illum, qui patrem suffocaverit, in perpetuum caelestibus abdicandum Mysteriis. 4. Ex Concilio Trid. sess. 14. cap. 1. dicente, nulla facta distinctione, aut exceptione. Novatianos, remittendi potestatem olim negantes, magna ratione Ecclesia Catholica tanquam Hæreticos explosit, atque condemnavit.